...nes

... Matthaei Triumphus virtutis

Illmi et Rdmi D. D. Ioannis Branecki.

# TRIUMPHUS VIRTUTIS

ILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI

# D. IOANNIS BRANECKI

J. V. Doctoris

Archidiaconi Psczeu: Scholastici Varsau: Gnesnensis, &c. &c. CANONICI, S. R. M. Secretarij.

Ipsâ per quam auspicatâ die

DUM

REVERENDISSIMUS DOMINUS Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

IN

EPISCOPUM ENNENSEM, ET SUFFRAGANEUM POSNANIENSEM Consecraretur.



A

M. MATTHÆO ORLINSKI Phil. Doctore Collegij Acad. Posnanień. Matheseos Professore

In debitæ, obseruantiæ & Cultus tesseram Publicæ luci ad spectandum

Epocha CHRISTI 1652. Calendis Ianuar.

EXPOSITUS.

POSNANIÆ,

In Officina Thypographica ALBERTI REGULI.

# IN STEMMA AVGVSTÆ DOMVS BRANECIORVM



*Romulidum multis Aquilæ viguere triumphis,*
*Augustum viguit, pluribus hoc labarum,*
*Inter Sauromatas; quo haud est augustius vllum.*
*Nam ducit Summos, Marte Togaq; Viros.*
*Relligio, pietas, candor, sapientia, virtus.*
*Circa illud turmas, explicat innumeras.*
*His igitur meritò Tua nunc dignissime Præsul*
*Virtus percelebris, læta triumphat ouans.*
*Ergo Sponsa Dei, gaude iam Præsule tanto,*
*Qui hoc signo vincet, castra inimica tibi.*

*Iacobus Watzon*
*Stud. Grammat.*

(+)

# ORATIO

NE mirere (quæso) Reuerendissime Antistes, quòd ego in Palæstra Oratoria minimè exercitatus, hâc celebri Cõsecrationis festiuitate, Virtutum Tuarum amplissimarum Triumphum, publicæ luci, ausim præsentare. Prodeo in hanc arenam obsequij, non ex Olympicorum ludorum Cyrco athleta robore fortissimus, ad ostentationem; sed ex Orchestra Virorum Academicorum officio Professor, ad Tui nominis debitam venerationem. Scilicet, cum Te Patronum veneramur, qui Herculeo animo debacchantes Æolorum impetus, nostris à Penatibus retundere consueuisti. Eum Fautorem vbiq; & palam profitemur, è cuius candido pectore, dulcissimam omnis propensionis & beneuolentiæ, in nos dimanantem ambrosiam delibamus. Eum ad extremum recognoscimus Curatorẽ, cuius curâ, sollicitudine, industriâ, & afflatu, Illustrissima illa NAVIS SOŁDRSCIANA, onusta ad cultus Diuini & literarum propagationem gazophylacijs; vt in Episcopali Basilica, ita & in Lyceo Lubransciano, stetit æternum spectanda. Absit quin aliquis nostrum adeò immemor

Phraates reperiatur, qui tanta Tua, & tam amplissima in Academiam Posnaniensem effusa beneficia, gratâ recolens memoriâ, hâc temporis intercapedine, ingrato Angenoræ auderet litare silentio. Nimiùm quàm angusto esset animo, ne dicam impio, qui istâ ipsâ felici & per quam auspicata Consecrationis Tuæ luce, si non loqui vt Orator, saltim graculo inter Musas similis, non contenderet obstrepere. Memini annalibus Historicorum proditum esse, vetustam illam antiquitatem, honores Diuinos, non solùm mortalibus præstantissimâ (quâ Æterno vniuersi Moderatori assimilantur) præditis mente; sed brutis etiam ipsis, tùm Soli, Lunæ, Stellis, Cælo, Elementis, exhibuisse: in mentem agminatim influit, Ludos Agonales, Cereales, Quirinales, instituisse: recenti complector memoriâ Festa Nyctileia, Herea, Floralia, Nemea, Panathenea, Mitriaca, in vim grati animi pro beneficiolis sibi præstitis celebrasse. Quo me quæso genio & ingenio, præditum expediet, quidué in præsentiarum, & quidem eo officiosius, quo luculentiora Tua in nos extant beneficentiæ argumenta, facere oportebit? Extruerem institutis Ferijs Statuas, Lauro vel Myrto redimitas, vt olim suo vel Mantuani Vati, vel Ptolomæus Homero, vel Demostheni Athenienses, vel Platoni Mitridates, addi-

to

to Lemmate *Ita virtus*; sed quis ego sum Polyclætus, quis Lysippus, aut Phidias, qui tantum possim valere celo? Ponerem Obeliscos, erigerem Colossos, statuerem Pyramides cum Epigraphe *Te stante Virebo*, nisi mihi aliud modestia Academica persuaderet. Tabulas, auro, vnionibus, viuis coloribus affabrè depingerem; sed peritissimis ista Aristidibus, Apellibus, Zeuxibus, vel Metrodoris relinquo; qui subtilioribus lineamentis adhibitis, illustria Tua facta, seræ transmittent non minus ad admirandum, quàm ad imitandum posteritati. Quid igitur dum Virtutis Tuæ celebritas, & honoris splendor nostram priuato contentam lare Academiam, perstringit faciam? alto forsitan rei magnitudine deterritus solennitatem istam venerabor silentio? minimè verò. Succumbere potiùs impari viribus oneri, quàm ingratus videri malo. Malo in me aliquis desideret dicendi maiestatem, quā Cultus Tui in hoc publico applausu debitam venerationem. Liceat ideò, tanto libentius Virtutis Tuæ Triumphantis materiem inquirere; quanto eam non solio deaurato Commodij, non quadraginta elephantis dextrâ leuâq; lychnos gestantibus Cæsaris, non Ceruorum quadrigis Aureliani: sed Auito Vexilli Tuo, sed Sancta geminatâ Cruce, sed Tiarâ hâc (quam vtinam felix & beatus prenses) intueor triũphantẽ. B Vir-

Virtuti supremâ dignitatum ac honorum capessenti fastigia, triumphos deferri oportere, vt recentioris æui mortales, ita superstitiosa illa credidit antiquitas. In eam aliquis abiret sententiam, quòd Virtus, inuentu quò difficilior sit, eò si in throno maiestatis sibi collocata conspiciatur debito, amplissimo terrarum Orbi, Vberiores longè proferat fructus. Vel certè, Virtuti omnē competere crederet pompam, quod sola immortalis contingat mortalibus; quâue nulla possessio honestior, & honorabilior credatur esse Aut deniq;, cum magnificum, excelsum, atq; expetibile bonum sit, omnia sibi deberi citra vllam dubitationis aleam, autumaret. Neque ego inficias eo, quin imò vota accumulans votis, liberè superaddo; Virtutem esse arcem inacessam, muni mentum inexpugnabile, salutem Ciuiū, integritatem Regnorum, antemurale Rerumpublicarum: Vel vt loquar cum Romano Sapiente, Virtus est, quæ Regna, Vrbes, Prouincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos, liberosq; dispensat officia. Nihilo seciùs, si paulò diligentiori trutina mentis, latentem in pro undo veritatem indagare voluerimus; concordibus profitebimur vocis, Virtutem; tantò ardentius amplecti triumphantem; quantò eam rariora, & oculis cariora nostris præmia comitatur.

Equi-

Equidem, in ea infelicissima, tam retroacta, quàm præsentia incidimus secula, quibus virtus susq; deq; habetur, spernitur, contemnitur. Priuatum personarum studium, fauores, detestandis, & vltra Garamantas vel Indos relegandis innixi factionibus, in celsissima exhedra locantur dignitatum: Virtus sola sibi pulcherrima merces, exulare solet. Illæ, sub Concauum vsq; Lunæ purpura nitentes euehũtur, hæc, licèt depressa vt palma toties in ardua tẽdẽs erigatur, opprimitur; si tamẽ opprimi potest, inuincibilis. Pridè hanc tẽporum vicissitudinẽ, Maiores nostri questi sunt, multò ante illam, fortissimus Græcorum Heros apud Homerum incusauit; cum videret benè meritis de Republica Ciuibus, æquales, atq; ignauis deferri honorum fasces. Quid, si præsentem virtutis statũ pensitaret, quomodo non indignaretur, quomodo grauis illius animum non arietaret tempestas? Præsertim si Solonis apud Athenienses, Lycurgi apud Lacedæmonios, Numæ Pompilij apud Romanos, (vt interim alijs parcam) leges, statuta, quibus voce Prætoriâ interdicebant, ad conseruandam Regnorum, Imperiorũ, Rerumpublicarum, Vrbiumq; integritatẽ, vt benè meriti præmijs; ignaui & fruges tantùm consumere nati Ciues, pænis afficerentur: elusa, euersa & obliterata cerneret. Enimuerò, sit alter iustus vt Aristi-

ristides, constans vt Anaxagoras, modestus vt Agathocles, verecundus vt Cimon, eloquens vt Arpinas, sapiens vt Seneca, clarus victorijs vt Alexander: imitetur sobrietatem Iulij Cæsaris, taciturnitatem Pythagoræ, castitatem Xenocratis; Traiani humanitatem, Socratis temperantiã amplectatur: profectò nisi simul Patroclides, vel Apollophanes sit, facilè suâ virtus eludetur, facilius elidetur. Cur ita? sola interim audacia cum ambitione, mens subdola cum temeritate, elatio animi cũ ostentatione, solus inquam fauor cum maiestate ad æthera prouehitur. Quidni Thucidides, Camillus, Metellus ille Numidicus, qui de Iugurtha triumphauit, Viri de Republica meritissimi extitêre? attamen, turpissimè in exilium, in vim gratitudinis, ab ijs ipsis, pro quorum integritate tanquã pro aris decertârunt, pulsi. Pudet dicere (dicendum tamen) Telemachum, Aristidem, Menenium Agrippã, Ciues Patriæ amantissimos, eo excellentiæ & fortunarum virtute deuenisse, vt ille sæpiùs fabis ipsis contẽtus victitaret; horum autem, ad Iusta Feralia persoluenda, accisæ nimis non sufficerent facultates. Age verò Timagoræ Artabani Herorum nobilissimorum, Arbacis, Darij Persarum Regis, Ducis exercituum gloriosissimi, & ipsi Alexandro Magno formidabilis virtus, quæ & qualia meruit

præ-

præmia? Capite plexi, egregiâ sanè laudem, & spolia ampla retulêre. Nolo hic commemorare Italianum Foroliuiensem Ducem Mediolanensem, in præmium virtutis, securi percussum. Nullam mentionem facio, Lycurgi Thracū Regis potētissimi, quem dignè, cum præmiari communis omnium mater pro laboribus circa habenas Regni moderandas non poterat; alteri sibi vicino elemento, in mari præcipitatum hoc munus reliquit. Atq; vt alios ex industria, quorum mihi cateruatim, occurrunt phalanges prætercam, illum sanè Belisariū Iustiniani Imperatoris Ducem Marte & arte insuperabilem, qui Persas in Oriente ad internecionem gloriosè debellauit; illum triumphatorem, qui Vādalos in Africa, igni, ferro, in Vrbes & Prouincias grassātes magnificè superauit; illum inquam Belisarium, qui Gothos toti Europæ formidabiles, hebetantes in iugulis Ciuium acinaces strenuè vicit ac superauit, præterire non possum? Cuius Virtus, quæ trophæa, quas Coronas, quæ præmia promeruerit, si fauore Charonis, per stygias aquas ab Elisijs campis, vultu venerandus, ætate grauis, galeâ, & bractealibus nitens, luminibus cæcutiens, dextrâ pilum, leuâ gestans scipionem, reuocaretur: profectò pallidus, liuidus, gemebundus non aliter nos alloqueretur. Ego Belisarius post tot discrimina, sedēte pro

te pro tribunali Marte, pro imperatoria, pro Patriæ, proq; Ciuium integritate suscepta, ad eam honoris prouectus sum sublimitatem, vt exoculatus in vili tuguriolo, publicæ viæ proximo, stipem à prætereuntibus coactus fuerim emendicare, *Da obulum Belisario Viator, quem Virtus extulit, inuidia excæcauit.* Pro DEVM hominũq; fidem? Itané præclarè gesta contemptu; Virtus crudelitate remuneratur? Ita sanè: Sic viuitur hoc corruptissimo seculo, vt egregios conatus, rarâ gratia consequatur. Hæc est deploranda magis quàm ferenda temporum facies, quòd Virtus aut nulla, aut coruo albo rariora.

*Pro meritis dignis præmia digna ferat.*

Quid igitur mirum, si virtuti præmiatæ concedantur trophæa? Eccur non gestiendum lætitiâ, cum illa pro iure sibi debito triumphat! cur magnæ virtutis magnus splendor non suspiciendus, cum aliqua lætitiæ publicæ testificatione? Triũphat hâc ipsâ die Consecrationis Tuæ in EPISCOPVM, PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME VIRTVS TVA, nouis ad initium noui anni, ex debito refulgens honoribus. Triumphat inquam, dum post tot exãtlatos grauissimos labores, pro Religione, pro Ecclesia, pro DEO, in luce publica susceptos, omnes Scyllas & Acroceraunia, omnes Scopulos & Charybdes prætervecta, ea locatur in arce dignitatis; in qua lon-

longè illustrius, acsi in specula celsissima luceat Orbi. Et quanquam illa hæreditaria semper habuerit magnarum in Republica, & Ecclesia magna sua promerita dignitatum insignia, eoq; iam progressa fuerit amplitudinis, quòd vbiq; lucidissimā diffundat claritatem: tamen, ita hodie, extra inuidiam, quæ virtutis æmula est attollitur Tiarâ Episcopali illustris, vt auspicatissimum ad Solem in Ortu breui imitandum, accipiat omen. Meruit, meruit Pastorale hoc Pedum pridem, Illustris BRANECIORVM Domus, quæ Sellas Curules; Coronas Ciuicas, Obsidionales, Murales, & quidquid ad Rempublicam, ingenio, armis, robore, consilio, gazis, tuendū videtur pertinere, habuit semper. Quippe, ita in Orbe Polono instar Cynthij intonsi, incorruptâ fide, nudâ veritate, inuincibili in omnibus expeditionibus resplēduit animo; vt radiorum suorum splēdore, aliena merita non aliter, quàm Solis radij putredinis nitorem obfuscaret. Hæc illa peraugusta Domus est, quæ sicut Sol inter Planetas, claritate, magnitudine, & influxu; ita illa generis splendore, Maiorum claritate, Familiæ venustâ eminet vetustate. Illa est, quæ,

*repulsæ nescia sordidæ,*
*Intaminatis fulget honoribus,*
*Nec sumit, aut ponit secures*
*Arbitrio popularis auræ.*

 Illa

Illa (vt multa paucis cōplectar) est, ex qua, quot Ciues, tot Curtij, Horatij, Lycurgi; quot Senatores, tot Catones, Fabij, Sulpitij: quot Ecclesiastæ, tot Chrysostomi, Bernardi, Augustini: cōsilio, authoritate, prudentiâ, pietate, fide, probitate, fortitudine, prodiêre. Quis ita infans est, & peregrinus, cui si primis (vt aiunt) labris, annales retroactorum seculorum delibauit; non extemplò luculentissima Domus antiquæ BRANECIORVM virtutis omnis, nō influant in mentem & oculos documenta? Quid ego hic è fastis antiquitatum eruam, illa primæua fulmina belli Radwanæ gētis? quid Labarum hoc Sacrum Tuæ nobilissimæ Prosapiæ perenne Virtutis Auitæ, & Sanguinis monumentum â longè demirer? Quid omnibus Ordinibus, imò toti Regno Virtutes Tuorum Auorum, Atauorum, Proauorum, clarissimas rudi penicillo Orationis efformem? quorum res præclarè, & pulcherrimè gestæ Togâ & Sago, domi & foris, ita Poloniam illustrârunt: vt difficilè sit, Poloniane BRANECIOS, an BRANECII Poloniam cōdecoràrūt, iudicare. Viget, & viuit in recenti memoria omnium, tàm Magnis Præsulibus, quam Serenissimis Principibus propter singulares dotes, ac diuinas Virtutes gratissimus Patruus Tuus, Perill. & Admod. R. D. IOANNES BRANECKI, Præpositus Præmisliensis, cuius prudentiam in agendo,

do, grauitatem in sententia dicenda, integritatem in amicitia colenda, iustitiam in Tribunali Regni; in Cultu Diuino zelantissimũ pectus, in egenos munificentiam sera narrare nõ cessabit posteritas. Magnũ illum Heroem & vix alicui comparãdum Virũ, Magnificum & Illustrem D. FRANCISCVM BRANECKI, Cancellarium Serenissimæ Reginæ Constantiæ Austriacæ cõmemorare nolo, in cuius laudibus celebrandis, Demosthenis nõ sufficeret suada. Taceo Illustris. & Reueren. D. PAVLVM WOŁVCKI, Virum quâ doctrina, quâ prudẽtia, quâ authoritate, quâ pietate clarissimũ, Præsulẽ Cuiauiẽsem; taceo Magnificos DD. Philippum Palatinũ Rauensem & Sebastianum Wołucki Castellanum Malogoscensem (quibus de Tu maternam Prosapiam ducis) Viros de Ecclesia & Patria, optimè meritos: quorum Virtutes, ijsdem, quibus & ipse Orbis clauduntur terminis. Taceo alios. Neq; enim vacat Stemmata amplissimæ Familæ Tuæ in quatridui spatio recensere; neq; Tuum nomen illustre eorum colorib⁹ illustrare: præsertim cum sciam, Te Reuerendiss: Antistes, nunquam sub aliena arbore fructus Virtutis legere solêre; imò tantùm fastidire alienas colorum imagines, quantum eas permulti appetere habent vsitatum. Non ignarus, illa esse non propria sed externa; hinc ita totius vitæ pro Tuo,

 ocu-

oculeato animo dirigebas rationes, vt vndiq; gloriã immortalẽ Tuis ex illustrib⁹ (sic enim itur ad astra) factis cõquireres. Ille ipse adolescẽtiæ Tuæ flos, quid aliud fuit, quam cursus ad virtutem & gloriam continuus; in tantũ quod assurgẽte ad maturitatẽ ætate, Te eo iam deuenisse, quo veneranda canicies permultos laborum anfractus, rari⁹ peruenire solet, diceretis. Familiare est herbescentibus in annis Proteum persæpe agere, ni graues Aristarchi facem seuerioris disciplinæ præferant, Tu ardore Virtutis & amore honestatis semel inflãmatus; ita inuincibili animo persistebas, quòd Te à proposito nullæ illecebræ, nullus æstus, nulla molestia vel labor; nõ otium, non somnus, non commodum aliquod abstrahere, aut retardare valuerunt. Ita omne tempus, omnes horas & momenta, in Diuinarũ humanarumq; rerum peritia collocabas conquirenda, vt non discere sed reminisci videreris. Ita non fucatam aut apparentem (quâ sæpius multorum animi quorum vis omnis & virtus in lingua sita est, quiuè loquentiæ multũ sapientiæ parum habent, occupantur) sed solidam, veram, & omnibus numeris absolutam comparasti Tibi Sapientiam. Inde ortum, quòd in publicis actib⁹, cum Theologis de DEO disputare, cum Iureperitis legum amplitudinem inuestigare, cum Philosophis iam subtiliter argumentari,

tari,

tari, iam sublimiter naturæ arcana scrutari, iam prudenter de administratione Rerũpublicarum disceptare; cum alijs, quicquid obuium fuerat, grauiter, acutè, clarè, distinctè, solebas explanare. Occupantē publica subsellia, & disceptātem Mater mea Alma Academia Cracouiensis de rebus sapientissimè cum miraretur, non modò per Oracula illa Sapientiæ Vadouios, Naimanouios, Opatouios, Suinarscios, Vitellios, aliosq; summos & excellētes Viros approbauit: sed Mitrâ etiam Doctorali Iuris Vtriusq; tantam virtutem ornauit & coronauit. Neq; solùm Heliconis Sarmatici Musæ, vberem hanc eruditionis & doctrinæ venerabātur sublimitatē, sed eā præ alijs Illustr: & Reuer. D ADAMVS NOWODWORSKI Episcopus Posnan. Vir authoritate grauis, Consilio prudens, cuius Cancellarius dignissimus extitisti plurimi semper fecit. Quin suspexit & vnicè dilexit, ille Senator insignis, ille Reipublicæ Ciuis optimus, ille Cato Sarmatic⁹ Illustris. & Reuer. D. ANDREAS SZOŁDRSKI Episcopus Posnan. cui immortalis debebatur vita; hinc Te ob summas ingenij dotes, ob vitæ integritatem, ob prudentiam in rebus peragendis raram, omnium suorum consiliorum participem, omnium facultatum & ditionum, omniumq; rerum arbitrum constituit. Nec vanâ spe quam de Te præconceperat elusus. Tantā enim


& tam incredibilē in agendis rebus dexteritatem deprehendit, quòd eam sæpius æstimare, æstimatam ornare, ornatam deprædicare vbiq; cogeretur. Rarum & magnæ virtutis argumentum est, à summis viris amari, rarius venerari, quid dicam eos laudum suarum præcones habere? Porrò de Administratione Tua, Episcopatus Posnaniēsis quid, & quomodo dicam? Hæreo hîc in salebra, namq; magnitudo rei obruit mentem; obruit calamum. Et quidni obruat? dum Te Administratorem eum, cuius, in Politicis prudentiam, in Criticis iudicium, in iudicijs iustitiam, in cōstantia sapientiam, in omnibus BRANECIVM; id est omnis perfectionis apicem, hominis Phænicem, aram consilij, æquitatis prototypon, iustitiæ antesignanum, Virtutis Dictatorem, non sine magna sui perturbatione contemplatur. Eâ clementia in Te, quæ olim in Augusto verè augusto resplenduit Cæsare. Non abutebaris potentiâ, non subditos duriùs (quod non nouum sub Sole) patiebâre tractari. Non ambitio Tuum vnquam animum, non graue alijs imperiū, non liuor occupauit; in quo humanæ felicitatis terminum, consequi mihi videris. Magnæ profectò prudentiæ est, cum felicitate luctari; magnæ felicitatis est à felicitate non vinci. Verum enim vero quo magis Virtutes Tuas amplissimas mente

con-

consector interiori, eo maiora laudum Tuarum occurrunt mihi agmina. Occurrit pietas; occurrit zelus in Diuino cultu promouendo; occurrit liberalis in Ecclesias munificentia, quæ, quibus verbis, quâuè dicendi maiestate explicem, ignoro. At taceam ego licet, loquētur illæ dubio procul Ecclesiæ, quas potentiâ Hæreticorum occupatas plurimas vindicasti. Loquetur Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis Basilica, igne vastata; quam Tua industriâ, & pristino splendori restitui, & è Nobiliisima PP. Prædicatorum Familia Pænitentiarium ei perpetuum fundari, & varijs ornamentis, sumptui non parcens proprio ornari, procurasti. Loquētur aliarū Ecclesiarū cū suis Parochis immunitates quarū integritatē in Iudicijs Tribunalitijs, ardēter & animosè, quoties res poposceb promouisti, conseruâsti. Loqui videtur & ipse (quòd primò dicendum erat) Academiæ nostræ Tutanus, Sol Musarum, Flos æui, Amor omnium, cui sine termino apprecor vitam, ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS PRINCEPS D. CASIMIRVS FLORIANVS DVX in KLEVAN CZARTORYSKI EPISCOPVS modernus Posnaniensis, qui hoc vnicū semper animo voluebat, vt Tuas tam excellentes coronaret virtutes. Illuxit tandem non minus grata quàm iucunda omnibus dies, quâ Tibi iterùm atq; iterum renuenti Tiaram Episcopalem, Pedum Pastorale, su

blimē in Ecclesia Dei ( vt sublimis subli. mes honores capesseret virt⁹ ) honorē offerret. Obtulit & tergiuersantē incessāter sollicitauit, quo citius virtutē satis meritā, insigniis Pontificalibus cumulatam, cerneret triumphantem. Quæ, dum die hodierna, potiori longè iure, quàm olim Romæ M. Marcellus, Scipio Africanus, Paulus Æmilius, aut C. Marius apparat triumphum, publica in hâc lætitia; videre mihi videor, illi, ab ea parte, vbi aurora fugatis fulget tenebris, Illust & Reueren. Præsulē Peraugustū Capitulū, numerosū Mystarū numerū, ipsam etiā Cathedrā Posnan. cū Academia obuiā venire, & præcedere: video, cum Metropoli vrbe magnâ stipatā Ciuiū cateruâ, amicos, cōfratres, propinquos, clientes, subditos, eam cōcomitari, & vt illos, ita hos geminatas fundere cōgratulationes, Tibiq; Reueren. Præsul. Ennensis fausta quæq; & felicia comprecari. Quo Tuo tā felici atq; præstāti bono gaude, & exulta, triūpha cū virtute Tua luce præsēti præmiata, dico iterū triūpha ; & iter hoc honorū quod ingress⁹ es felicitèr, cōtinua felicius, felicissime ad metā Virtuti Tuæ præfixā perfice. Hoc Vestræ Illust & Reu. Cel. Ecclesiæ Cler⁹, hoc omnes omniū Ordinū Patriæ Ciues, hoc Academia nostra, hoc ego Cliens Tui obseruātissimus, hoc deniq;, Cælū præsagū, cuius Calculatū pro Tua Nominatione præsento Thema, vouemus, cupimus exoptamus.

DIXI




I u p p i t e r a u ſ p i c i u m ſ
u a r I n f u l â t e q u e c u l a
p c i b r a d u t l o v u l m e n c
p r ſ e ſ u a o i e H t u M h o n r
i i D a n u n r ſ t a i t r o r i i
t ſ e t c p r a q f n a m c ſ V t ſ
e i ſ N o g n r u o c o n ſ ſ e d i
r g í e o s t e è r p i c i e a ſ g
a n g q́ i c a ſ n t t e c c S o l n
u a n u ſ i ſ e e u e T u a i o a
ſ t a e t i t d p n m I n d f a u t
p o t h A ſ t e o a d e b m ſ t u o
i r ſ o T o r A s ſ T i i u ſ u t r
c h e c e i u t ſ e m o n n a ſ t h
i o l i m u l l i r ſ t r r r a P o
u n i n a t d a m e a n s u o l o n
m o x g i e c n u n d i u t h n r o
S a c r i ſ i g n a t o r o o i ſ